



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xlix. De immunitate ecclesiaru[m], cœmeterii, & rerum ad eas
pertinentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

De immunitate ecclesiarum, & cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. Tit. 49.

De immunitate ecclesiarum, & cœmeterij.

Liber homo quatumcunque grauia maleficia ^{6. Inter alia.} perpetrasset, si ad ecclesiã fugerit, ab ea uolenter ne extrahitor, néve inde ad mortem, aut pœnam, ni publici latrones nocturniue agrorũ depopulatores fuerint, itinera frequentata, strataſve publicas aggressioniſ insidiis obſidentes, damnator. Rectores ecclesiarum ipsi membra & vitam obtinento. At super hoc quod iniquè faxit aliàs legitimè punitor. Quod si seruus ad ecclesiam confugerit: postquam de eius impunitate dominus clericis iuramentum præstiterit, ad eius seruitium redire compellitor. alioquin ab ipso rectè occupator.

Si quis tamẽ impunitatem excessuum suorum ^{10. Immunitatem.} per ecclesiã defensionem sperans homicidia, mutilationesſve membrorum in ipsis ecclesiis, aut eorum cœmeteriis commiserit: immunitatis priuilegio ne gaudeto.

Ecclesia enim dei domus orationis esto. vn- ^{5. Cum ecclesia.} de ob id ipsum seculares iudices causas ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agetur in ecclesiis cœmeteriisſve ne agitato. Si faxint: anathematis pœnam timento.

Sed & ecclesiã, in qua diuina mysteria celebra ^{9 Ecclesia} buntur, licet adhuc consecrata non erit, priuilegium immunitatis ne adimitor. Obsequiis diui-

De imm. eccl. & cœmet.

nis destinatam nemo temerè prophanato.

Et rerum ad eas pertinentium.

3. *Iudica-
turo.* **R**usticos ecclesiæ ruribus eius relictis in possessionibus priuatorum culturam exhibere defensor prouinciæ ne permittito.

1. *Vt in do-
mibus.* In domibus quoque ecclesiarum missus, comes, iudexve publicus, seu minister quasi pro consuetudine placitum, vt vocant, hospitiumve ne vendicanto. In publicis locis domos ad hoc constituunto, habento.

4. *Non
minus.* Item consules ciuitatum, & rectores, aliæve potestatem habentes ecclesiæ onera ne imponit, neve eas angariis affligunto. Siue fossata, expeditiones, aliæve sibi conficiunda putabunt, de bonis ecclesiarum, clericorū, & Christi pauperum vsibus deputatis compleri ne faciunto. iurisdictionem & authoritatem prælatorum in hominibus eorum ne minuunto. Si tamen episcopus & clerus tantam necessitatem vtilitatemve aspexint, vt absque vlla exactione, ad releuandas communes necessitates, laicorum facultatibus nõ suppetentibus, subsidia per ecclesias conferenda existiment: ratum esto. Qui consules aliæve hæc contra commiserint, ni communiti cessassint, tam olli, quàm fautores eorū excommunicationi subiacento. Donec competenter satisfaxint communioni ne redduntor.

7. *Ad-
uersus.* Cum autè predictæ necessitatis casus ingruerit, prius Romanus pont. consulitor. Is communibus vtilitatibus prouideto. Tum demum quæ à clero conlata erunt laici hæc cum gratia-

rum actione humiliter, & deuotè recipiunt. Alioquin quæ constitutiones sententiæ à talibus, seu eorum iussu mandatu promulgatæ erūt, inritæ & inaneis habentor, nullo tempore valento. Qui aduersum hæc admiserint, donec satisfaxint, etiam post regiminis sui tempus, eorumque successores ni intra mēsem satisfaxint, ecclesiastica censura conclusi manento. Sic qui in honore substituetur in onere succedito.

Prælati tamen nullum Romanæ, suæve ec-^{2. Perue-}clesiæ nomine, aut alio modo à murorum vigi-^{nit.}liis, cū ciuitatem custodiri oportebit, excusari patiuntor. Omnes ad hoc generaliter compelluntor.

Iidem prælati vt procuracionem, seruitiū-^{8. Quia}ve legato, seu aliis impendant, à subditis plus, ^{plerique.}quàm soluent, ne exiguntor. in eorum damnis lucra ne sectantor, néve prædam in subiectis queruntor. Qui præsumpserit extorta restituito. Tantundem pauperibus elargitor. Superior, apud quem querela deposita erit, si negleget exequi, canonicæ ultioni subiacteto.

*Ne clerici, vel monachi secula-
ribus negociis se immi-
scent. Tit. 50.*

Monachi, clericive lucri causa ne negociã-^{6. Secundò}tor. proinde vt nec laici ecclesias ad firmã, ita nec monachi à clericis, laicisve suo nomine firmas quaslibet habentor. Si quis quid eorum faxit: anathemate feritor.